



riis sermonibus aut exemplis oculo subiectis nunc mitigatos arcere, et, quantum fieri possit, grauiorem aegritudinem consolando lenire queat. Nec solum vero, quo melius Munatii animus varie quasi depastus relaxetur, oculorum aut sensuum vniuersorum oblectamentis inhaeret, sed ad ingeniorum delicias ac voluptates adsurgit.

*Sunt quibus vnum opus est, intactae Palladis urbem
Carminē perpetuo celebrare —*

Astute et callide Flacce! videris, dum de carminum diuersitate dicere instituis, bonum exulem ab argumento tuo alienare, is vero sensim eo, vbi animum tuum, adhuc quidem nondum plane detectum, mox vero eleganter explicitum, cognoscet, se deductum videbit. Sed ad vocabulum *vrbs* quaedam non plane, vti mihi quidem videtur, notatu indigna adiicienda puto. Quidam enim iique illustres carminum Venusinorum interpretes, qui non ignorarint quidem, sed tamen hic non cogitasse videantur, *Lynam* Romani in nostro loco Graece resonare, *urbem* in *arces* mutandam censuerunt. Bentley, criticus acutissimus, permulta quidem loca nostro similia adfert, vbi Mineruae aedes dicuntur *arces*. At sunt, quod probe animaduertendum, ex poetis desumpta, qui non tam solliciti, vt Flaccus, linguam ad Graecam componere atque exprimere consueuerunt. Sanadon, cuius mira est sententia, j'ai mis inquit, *arces* au lieu d' *urbem* que portent les éditions, et qui est apparemment la glose d'un grammairien — — L'expression en est même plus juste o). Dubito profecto, an vere. Rem igitur paullo adcuratius cognoscamus.

Equidem nihil omnino mutandum puto, sed laudo poetam, qui hic sine dubitatione posuerit *urbem*. Athenien-

o) In animaduersion. ad h. l.